Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1039

Quelle:
Copyright:

ſeriam noſtram. ſi intelligimus captiuitatem noſtram. dicamus ſinguli domino. dicamus omnes: Conuerte domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro &c. Finis: *Hec autem omnia ipſe nobis ſua pietate concedere dignetur. cuius regnum et imperium permanet in ſecula ſeculorum. Amen.* Si quid conjectandum foret, in *Benedictum* ſeu *Guaiferium Caſinenſem* innuerem, de quo, ejusque Scriptis Sec. XI. relictis *Petrus Diac.* de *Vir. illuſtr. Caſin.* c. 29. ejusque Commentator *Joh. B. Marus*, quamvis hujus *Sermonis* noſtri non diſtincte meminerint. Adjecit ei Librarius Particulam quandam *de Patientia*, et *Quindecim* nota illa *Signa futura ante diem iudicij.*

III. *fol.* 79. *Expoſitio domni Bernardi Clareuallenſis abbatis ſuper canticum canticorum.* Sunt XXIII. primi Sermones. *Incipit ſermo primus de titulo eius.* Hunc Librarius diſtinxit in *duos.* Prior rite incipit: *Vobis fratres alia quam alijs de ſeculo* &c. Alter vero ab iis verbis: *Incipiunt Cantica Canticorum Salomonis. Obſerua in primis pacifici nomen* &c. quae in Edit. *Maur.* T. III. *col.* 1268. ineunt *n. 6. Serm. I.* Lectio cum Editis probe conſentit. In Coenobio, in quo ſcriptus eſt *Codex* hic, fortaſſe nondum nacti erant *Sermones* ſequentes, cum hi, qui adſunt, exarati fuerint anno 21. poſt *Bernardi* mortem, ut infra patebit.

IV. *fol.* 137. *Incipit epiſtola Domni Bernardi clareuallenſis abbatis. ad domnum Henricum Senonenſium archiepiſcopum miſſa.* Eſt Opuſculum in Edit. *cit.* T. II. *col.* 461. inſcriptum *De Moribus et Officio Epiſcoporum.* Init: *Domino Suo Venerabili Henrico Senonenſium archiepiſcopo. Frater Bernardus. Si quid poteſt peccatoris oratio. Placuit preſtantię ueſtrę* &c. In Edit. diviſum in IX. *Capita* nobis tantum duas rubricas praefert; poſt verba enim: *puerilibus agi ſecularibusve conſilijs*, legitur: *Explicit epiſtola. Incipit ſermo ejusdem*, et poſt verba: *et conſcientia bona et fide non ficta*, habetur: *De puritate.* Exciderunt autem membranae ab verbis: *Metuit nimirum ſi aliter egerit, ne forte audiat ab — —.* quae in Editis occurrunt circa finem C. 5. *col.* 469. Lectiones quaedam ſub ingreſſum non aſpernandae videntur. Ita *terret exaggeratio* pro *exactio. Quantis putas periculis* pro *putatis. Si ego latens* pro *ergo latens. ſolus timori atque periculo* pro *oneri atque periculo* &c. Sunt tamen et menda manifeſta in Codice.

V. *fol.* nunc 143. exciderunt enim, ut jam monui, membranae, Συλλογη IV. Expoſitionum *Orationis Dominicae*, quarum 1) initio trunca nunc in Petitione *tertia* ita infit: *eo quod ſibi placeat. ut omnes ſaluentur. Secundum hanc itaque dicimus. fiat uoluntas tua. ſicut in cęlo et in terra. Hoc eſt mente tibi placeamus et corpore* &c. 2) inſcribitur: *Item Aliter*, et incipit: *Pater noſter qui es in cęlis. Non precepit ut diceremus deus uel domine* &c. 3) inſcribitur: *Aliter*, et incipit: *Pater noſter qui es in cęlis. Volumus fratres kariſſimi par-*

uam